

Dignissimo Botanico Iosepho Antonio Bonato

Antonius Iosephus Cavanilles

S. P. D.

Gratissima mihi fuerunt, vir optime, tue littere, quas a Legato Veneto nuper accepi. Elucet in illis scientia amor, in homines iustitia, in me denique tanta laus, quam nunquam desiderare potuissem, etiamsi phylautia laborarem. Marsilius ille tuus, cum honore semper nominandus, tuque ipse plantas examinasti, quas iteratis observationibus recognitas, novas credidisti idque ab anno 1790. divulgasti eas in scientia profectum et in vestram laudem, quo nihil rectius, nihil opportunius fieri potuit. Quid enim in vos opuscula mea? Numquid divinare poteras, me tunc Matriti de iisdem plantis agere? Et quid si scires? Nonne Botanicis licet easdem plantas examinare et foras emittere? Quare quo à vobis acta sunt probo, mihi que ipsi valde gratulor, quia de plantarum natura communis est sententia nostra. Credo enim Pisauram vestram meam esse Lopeziam; et Coreopridem formosam meum Cormos, de quo inspectis hic subiunctis tabulis iudicare poteris. Primam genus novum constituere una vobiscum dixi: secundam, quam ad Coreopridem reduxisti, aliud diversum genus efformare credidi, quia calix ipsi duplex est ut in Althea utroque monophyllus et octopartitus. Si hoc caractere ductus erravi, benigne à vobis excusari spero.

Quod ad mea opera attinet, nullibi nisi hic Matriti venalia pro-

stant apud Antonium Baylo Bibliopolam via vulgo de las carretas; nulla mihi de ipsis cura.
Quae hucusque in lucem edita haec sunt:

Monadelphiae classis dissertationes decem, 227 tabulis. Vol. 3.

Icones et descriptiones plantarum. Volumina duo 200 tabulis.

Tertium huius operis volumen magna parte paratum habes, quod Deo favente sequenti anno thyppis dabo. In aliud nunc totis viribus incumbo Regni scilicet Valentini historiae naturalis atque rei agrariae observationes.

Quae a me petis semina, curabo ut accipias: quam ob rem huius horti Praefecto nota faciam tua in hac re iusta desideria, tuique in scientiam conatus, atque indefessus labor. Utinam aliquo modo possem opusculo tuo frui: verumtamen locorum distantia, et bellorum furor impedimento sunt. Vale.

Matriti die 15 Februarii 1794.